

INCIPIT LIBER ROSA-  
RIVM PHILOSOPHORVM,  
*compositus, & in unum compilatus  
diligentissimè.*



VI desiderant artis Philosophicæ scientiæ  
maioris cognitionem verissimam habere, li-  
bellum hunc diligentius inspiciant, & sepis-  
simè perlegant, & optatum prosperum con-  
sequantur. Audite hæc filij priscorum Phi-  
losophorum, quàm altissima possum voce libet procla-  
mare. Venio namq; vobis præcipuum humanarum re-  
rum statum aperire, secretissimum omnium secretorū,  
totius Mundi thesaurum, non fictè nec irrisoriè, sed cer-  
tissimè & humanissimè palam ipsum efficiam. Qua-  
propter vos mihi talem exhibeatis audiendi deuotio-  
nem, quale vobis afferam doctrinæ magisterium: nem-  
pe eorū quæ vidi proprijs oculis, & manibus meis pal-  
pavi, aliquod nunc possum vobis rectius testimonium  
perhibere. Quidam & confidentius quàm fallaces mul-  
ti iactatores, qui post multas tandem expensas & labo-  
res, nullum sibi nisi miserabilem inveniunt effectum.  
Clarè ergo vobis loquor & apertè, quatenus tam peri-  
ti quàm etiam imperiti valeant ex hoc magisterio secre-  
tum intelligere. Nec meritò poterit me quisquam blas-  
phemijs afficere: Nam cum antiqui Philosophi tam  
obscurè quàm & confusè scripserunt, ita vt nedum in-  
telligantur, sed nec cōuenire videantur, quatenus pre-  
ciosissimam artem hanc inquirentes, aut fallerent, aut  
à proposito deterrent. Ego quidem remota omni fal-  
lacia & obscuritate, vobis planè experimentum omne  
ante oculos apponam verissimum, simul & cum Philo-  
sophorum sententijs, ad propositum adductis ipsum  
quam optimè facientibus, quatenus res de qua agitur,  
eo apertior fiat & clariùs intelligatur.

Vnde primò notum facimus, omnes extra naturam  
operantes, deceptores esse, & in re non debita labora-  
re. Porro ex homine nō nascitur nisi homo, & ex bruto